

suprà Exod. 16. Ostendit autem & huius facti finem. Nam cum Manibus fuerit tenuis & mollis, tamen viribus ita refecit populum, ut robustissimi essent. Voluit igitur docere Dominus, facile illi esse qualibet re cibare homines, etiam nudo verbo, si opus sit. Et in hanc sententiam Christus apud Matt. 4. citat hunc versum. 3. Argumentum à vestitu in deserto, qui non computruit, & reliquis laboribus qui omnes faciles fuerunt, per se alioquin difficillimi. 4. à præstantia terræ Canaan, quæ laudatur à bonitate aquarum, à fertilitate, à copia metallorum.

*Vers. 10. Comedes & saturaberis, &c.*

Πόεισμα quod infert, ostendens quid sit officij ipsorum, nimirum pro omnibus Deo gratias agere, & studiose in cultu eius perseverare.

*Vers. 12. Ne comedas fortassis, &c.*

Præmonet de periculo per occupationem. Nam felicitas plerunque insolentiores facit & Dei contemptores. De eo igitur præmonet, ut minus rebus secundis efferantur, ac iubet meminisse in felicitate periculorum in deserto, & beneficiorum ibi exhibitorum: de quibus partim in Exod. 16. 17. partim in Numeris 20. & aliis locis videre est.

*Vors.*